

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Nummotheca Principum Austriae**

ex gazis Aulae Caesareae potissimum instructa, & aliunde aucta, quae a prima aetate, qua in Austria cusa fuit moneta Sub Babenbergicae Stirpis Marchionibus, Ad Usque Habsburgicae Gentis Principes, Lineae Hispano-Austriacae, Huiusque Masculum Ultimum Carolum II. Regem Hispan.

Complectitur tabulas aeri incisas LI

**Herrgott, Marquart**

**Friburgi Brisgoviae, 1752**

[Text]

[urn:nbn:de:bsz:31-241470](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-241470)



Tab.  
XXX.  
seqq.

*foris* titulum ( 19. 62. 119. 124. ), quem tamen iam prius optimo iure ( 99. ) usurpare poterat, parum emolumenti cepit.

PHILIP-  
PUS II.  
HISPA-  
NIARUM  
REX.

Tertiam itidem ISABELLAM nomine, HENRICI II. Francorum Regis filiam, per pacis Cameracensis condiciones desponsatam anno 1559. ( 32. 34. 36. ), anno insequenti sibi copulavit ( 38. 116. ), ex eaque CLARAM ISABELLAM EUGENIAM ( 92. ), de qua postea, nec non CATHARINAM, CAROLO EMANUELI, Sabaudix Duci, nuptam, suscepit.

Ultima PHILIPPI Uxor, ANNA, MAXIMILIANI II. Imp. filia erat, anno 1570. nupta ( 60. 65. 117. ). Hæc ei duo filios genuit: alterum anno 1572. DIDACUM nomine, ( 66. 72. 73. ) qui in prima iuventute obiit: alterum patri cognominem, quem anno 1584. quadrimum, hæredem regnorum constituit ( 95. ). De eo data opera in consequentibus. Vid. FAM. STRADA *de bello Belg.* LETI *la vie de PHILIPPE.* KHEVENHÜLLER *Annal. Ferdinand. cat.*

NUMMI MNEMONICI  
ET  
ICONICI.

sequebatur. *M. Imp. ar. pond.*  
*3. drach.*

II.

I.

Tab.  
XXX.

Protome PHILIPPI, tunica amicti, pulchro, ac iuvenili aspectu, accisis crinibus, capite pileato & ad lævam converso. In area hinc inde adscribitur annus: ÆT. *atis.* XVIII. & in imo, nota chronologica 1542. PHILIPPUS anno æræ vulgaris, 1527. ut diximus, natus est: hinc anno 1542. quem nummus præfert, annos ætatis haud plures quindecim numerabat: non, ut nummus indicat, duo de viginti; hinc alterutram notam: temporis, vel ætatis in mendo cubare necesse est. Quidquid autem sit, iuvat certe sapientissimi iuxta ac formosissimi Principis speciem, qualem adolescens præferbat, primo loco intueri. Videtur autem nummus honori PHILIPPI ab ipso patre Cæsare datus, qui multo semper filium amore pro-

TOM. II. P. I.

PHILIPVS. AUSTR. *iacus* CAROLI. V. CAES. *aris* F. *ilius.* Protome Principis armata, & insigni ordinis aurei velleris conspicua: capite nudo, dextrorsum converso. Quod sculptor per oscitantiam PHILIPVS scripsit, id etymo nominis repugnat; quod semel monuisse sufficiat.

In averfa HERCULEM nudum, clava instructum, manu dextraprehendit VIRTVS, sub figuræ muliebris seminudæ schemate: monstrans altera manu e longinquo arcem splendidam, in excelsi montis vertice sitam. Ex adverso stat VOLVPTAS, dextra VIRTUTEM quasi cohibens, & ad latus suum monstrans HERCULI instrumenta musica, sagum, urceum, coronas: pone adstante, & quasi rei exitum exspectante, satyro, qui & ipse voluptatis & libidinis

R 2

nis



PHILIP-  
PUS II.  
HISPAN-  
NIARUM  
REX.

nis imago est. Iacent ad pedes cornu copiae, cophinus florum plenus, & urceolus. Additur in ambitu hemistichium: COLIT ARDVA. VIRTVS. In ima parte legitur: LIA. F. ecit. Scalptoris sine dubio monogramma.

Nihil tritius elegantissima illa fabula, quam XENOPHON (a) ex PRODICI Philosophi CHII libro de virtute & vitiis recitat: HERCULI adulto, dubitanti, quod vitae genus sequeretur, obvias factas duas mulieres, alteram modesto habitu & honestam; namque haec ipsa Virtus erat: alteram paulo effrenatiorem, atque haec erat Voluptas. Utraque tentabat HERCULEM ad suas perducere partes, qui tandem Virtuti victas manus dedit. PHILIPPUS igitur, qui dubio procul signari iussit hoc numisma, cum rempublicam capefferet, hoc simbolo promisit: quasi nihil se prius, nihil antiquius Virtute habiturum, eam diligenter culturum, & per ardua quaeque secuturum fore.

Ceterum edidit Cl. Auctor Loculamenti II. ad recens aperta *Grossorum* scrinia (b) minoris moduli nummum, Antverpiae cufum, ac eodem prorsus lemmate instructum, addita æra Christi: 1549. eo nimirum tempore, quo Archidux sacramentum fidelitatis a Belgis suscepit. Huius nummi delineationem suppletam habes in Tab. nostra XLIX. num. 42.

PHILIPPVS AVSTR. iacvs CA-

(a) Lib. II. de dictis & factis SOCRATIS,

ROLI. V. CAES. aris F. ilius. Efigies PHILIPPI, fere ut in precedenti numismate.

Tab.  
XXX.

COLIT ARDVA VIRTVS. 1549. Clypeus coronatus quadripartitus. I. quadrans in IV. areolas divisus, repetita *Castellæ* & *Legionis* insignia continet. II. tesseris *Arragoniæ* & *Siciliæ* complectitur. III. oblique sectus, superius scutum *Austriæ*, inferius *Burgundiæ* veteris symbola representat. IV. similiter sectus, supra comparet *Burgundiæ* nova, infra leo *Brabantiae*. Quadranti huic in medio incumbit parmula, a summo bipartita: leo *Flandriæ* a dextris, ad finistram aquila *Tyroloensis*. M. Imp. ar. pond. 4. unc. & G. C. l. c.

### III.

PHILIP. pus ET. MARIA. D. ei G. ratia R. eges ANG. lie FR. ancia NEAP. olis PR. incipes HISP. a-niarum. Imagines amborum, obversis vultibus: illius armata, capite nudo, cum ordinis aurei velleris insigni: huius stolata, vittato capite. Superius corona imminet, inter notam chronologicam 1554.

In postica scutum coronatum, insignia *Hispanica* & *Anglica* iugata referens: in area numerus XII. notam valoris, seu pretium indicat. Additur in ambitu perigraphæ: POSVIMVS. DEVM. ADIVTOREM. NOSTRVM. Ex nota temporis, adversæ parti impressa, intelligitur, nummum eodem anno, quo PHILIPPUS nuptias cum MARIA celebravit, cufum fuisse.

In

(b) Pag. 112. tab. VII. n. 61.



Tab.  
XXX.

a

In eo igitur uterque sponsus, titulis Regum *Angliæ, Franciæ & Neapolis* gaudent; cum, ut *Gregorius LETI* refert (a): Imperatori non minus, quam Anglis visum sit, ut *PHILIPPUS* Regiam Angliæ ducturus, Regium quoque titulum gereret; quem in finem, cum *CAROLUS* eidem *Regnum Neapolitanum* cessisset, statim post nuptiarum solemnitates, nummi cum hisce titulis, ut idem *LETI* auctor est, percussi sunt. Porro a titulo *Regis Hispaniæ* abstinet, eiusque loco: *Principis Hispaniarum* formula utitur; cum hoc anno *CAROLUS* diu meditatam abdicationem nondum exsecutus fuisset.

Denique hoc publico monumento novi coniuges pietatem fiduciamque in Deum satis testantur: opportune nimirum; gliscabant enim tum temporis civiles discordiæ, quæ terrere Regem Reginamque poterant, nisi Deo confisi fuissent. *M. Imp. ar. deau. pond. 3. drach.*

IV.

*PHILIPVS. AVSTR. iacvs CAROLI V. CAES. aris filius. PHILIPPUS* eodem habitu, quo num. II.

*NON. IMPAR. ONERI. FORTITVDO. HERCULES* nudus, nisi quod ex capite fascia pendet, ad utrumque latus defluens, cælum capiti impositum gestans. Vel *ATLAS* potius; quem, cum diligens siderum observator esset, Poëtæ cælum portare finxerunt. *HERCULIS* enim signum nullum apparet.

(a) Dans la vie de PHILIPPE II, P. I. L. X. p. 500.

*PHILIPPUS* hoc numismate, cum ad reipublicæ gubernacula a patre admoveretur, cuso, grave quidem onus se subire profitetur, neque vero se imparem eidem sustentando iudicat, ad instar *ATLANTIS*, qui nec ipsi cælo succumbat. *M. Imp. ar. pond. 4. unc.*

*PHILIPPUS II. HISPANIARUM REX.*

V.

Protome *PHILIPPI* armata, capite nudo, dextrorsum converso. Perigraphæ cum num. II. & III. convenit.

*PHILIPVS. SPES. ALTERA PATRIÆ. PHILIPPUS*, veterum Romanorum habitu, parazonio instructus, sellæ insidens, coronatur a *Victoria*, ex adverso stante, & manu sinistra palmam gestante.

Pertinet hic nummus ad annum 1555. quo *CAROLUS V.*, viribus iam destitutus, victoriis & gloria fatiatus, fortunæque mobilitatem expertus, die xxv. Octobris, evocatis *Bruxellas Belgii Ordinibus*, solemnissimo ritu, supremum earum provinciarum dominium, & omnis *Domus Burgundiæ* iura in filium transtulit: ut in nummis Imperatoris huius iam diximus.

*Belgæ* itaque, qui dignum tanto patre filium sibi promittebant, & præclara sibi de eo spondebant omnia, spem suam variis nummis expresserunt, quorum in numero hic noster est, quo novo Principi victorias, laureas, palmas, triumphos

R 3

phos



PHILIP-  
PUS II.  
HISPA-  
NIARUM  
REX.

phos augurantur. *V. L. T. I.*

*pag. 7.*

## VI.

Adversa præcedenti nummo correspondet.

In averfa tetragonum, opere toreumatico marginatum, eandem, quæ in priori numero legitur, inscriptionem, quatuor lineis absolutam, præfert: PHILIPVS SPES. ALTERA. PATRIAE. Erit ergo huius nummi idem, quod præcedentis, argumentum. *Id. loc. cit.*

## VII.

DIVO. PHILIPPO. OPTIMO. PRINCIPI. Effigies PHILIPPI, ut num. v. capite tamen ad lævam verso.

In postica Belgium, sub figuræ muliebris stolatæ schemate, iuxta tropæum sedens, dextra palmæ ramum, sin. facem accensam tenens. Additur perigraphæ: † AMOR. Z. (S) DELICIE. GENERIS. HVMANI. & in segmento repetitur epigraphæ partis adversæ, D. P. O. P. id est: *D. ivo p. hilippo o. ptimo p. rincipi.* Tantam Belgæ de PHILIPPO spem conceperant, ut eum *optimi Principis* elogio mactarent: quali *optimus Imperator* TRAIANUS in nummis & lapidibus innumeris honoratur (a): simulque cum TITO VESPASIANO, uno omnium mitissimo Principe, qui, teste Suetonio (b), *amor S delicia generis humani* appellabatur, conferrent. Quod ad *Divi* titulum attinet, non est necesse,

(a) Adde PLINIUM in Paneg. c. II. §. 7. ac in primis cap. LXXXVIII, §. 4. seq.

(b) In TITO, cap. I.

ut eum cum Cl. VAN LOON in Tab. XXXI, omni suo rigore acceptum: REÇU PARMY LES DIEUX, *inter Deos recepto*, interpretemur; cum ex nummis nostris (c) abunde pateat: *Divi* titulum Austriacis Principibus, etiamnum inter vivos degentibus, passim fuisse tributum; non equidem, quod pro *divis*, seu solemniter ritu quasi inter Deos relati, sed comparative, pro personis divinis, sacris, & a Deo datis, quas violare nefas sit, haberentur. *Id. l. c.*

## VIII.

MARIA. D. ei G. ratia R. egina H. ungarie. MARIA sub Victoriæ alatæ, gradientis, tunicatæ, & alte succinctæ schemate, dextra fertum profert, sin. palmæ ramum tenet.

Aversa pars eadem est cum num. v. ubi videri possunt, quæ ibidem notavimus. Cæterum MARIE huius vitæ brevium una cum nummis aliquot supra pag. III. num. 108. dedimus. *Id. loc. cit. p. 6.*

## IX.

† PHILIPPVS\* AVSTR\*iacus CAROLI\* V\* CAES\*aris F\*ilius PRINC\*eps HISP\*aniarum ET\* ANGL\*ie R\*ex. Protome Principis ut num. II.

In postica Virtus, sub figuræ muliebris stolatæ schemate, adverso corpore, amplæ pateræ insistentis, vas quoddam iustæ laxitatis, affabre cælatum, & aqua,

(c) Vid. supra in FRIDERICO, MAXIMILIANO &c.



11.

c